

A. K. 361, 25

II h
574

X 23A 6707

PLVCHES GALLI HISTORIAM COELI
A QVIBVSDAM OBIECTIONIBVS

DEFENDIT

SIMVLQVE AD

ORATIONES

D. III. OCTOBR. A. R. S. CID DCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS


PERREVERENTER INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,

RECTOR.

DRESDAE PRAELO JO. GVIL. HARPETERI.





Eo plerumque audaciæ procedunt homines a Christiana pietate alieni, ut imbecillitatis humanæ immemores nihil pro vero ac certo ponendum esse, clamitent, nisi quod dilucide & evidenter animo comprehendere, omnique ex parte ad rationis decempedam emetiri queant. Hac præjudicata opinione turpiter decepti, quam pueriliter cavillantur, quicquid fere sanctoris doctrinæ interpretes de veritatibus supra ingenii humani vires positis proferunt in medium. Quot spinosis frivolisque captiunculis eosdem fatigant, summis ima permiscentes, ut, quod omnes mortalium vires excedit, cujusvis mysterii modum, quo fieri ac esse possit, aperiant, recondita quæque præfiniant, & explanent, ac quid multa! ut immensum earum veritatum exhauriant profundum, quæ omnem hominum investigationem superant quam longissime.

Hoc vero uti nihil aliud est, quam ipsa cum ratione insanire: ita Gallus ille præclarissimus Pluches in (a) cæli historia ad hos insultus reprimendos nihil accommodatius esse duxit, quam si his altum nimis sapientibus viris humanæ sapientiæ tantopere ab iis laudatæ larvam detraheret, ac, quam imbecillis, quamque arctis circumscripta sit limitibus humana ratio, vivis depingeret coloribus. Quo quidem consilio reducit eosdem ad naturæ arcana, quorum rationes ac causas, quamquam nemo expiscari, nedum sufficienter explicare queat, quisque tamen sensuum testimonio convictus largiatur. Auctor illis savorque est, ut expendant, quot utique sæcula in enodandis & dilucide interpretandis naturæ rebus consumserint philosophi, quam anxie hanc diu multumque decantatam notionum perspicuitatem affectaverint, quam ingeniose ea mente plurimos philosophiæ doctrinarumque

con-

a) Prodiit liber Sermonis gallico eaque inscriptione: l'Histoire du ciel, ac germanicam quoque in linguam translatus est.

concentus excogitaverint, quorum alter alterius principia subinde subruerit, ita ut omnibus exantlatis laboribus, quæque adhuc eodem velo cernantur involuta, quod summum numen iisdem obduxit. Ex hac ingenii humani infirmitate suo quidem jure ratiocinatur, viri omnino sapientis esse, ut, cum in naturæ rebus explicandis ubique rationem cæcutire probe sentiat, tanto magis in cœlestibus iisque sublimioribus Christianæ religionis veritatibus admittat mysteria, quanto gravioribus argumentis de divina illarum origine & Θεογενεια convincimur. Quæ omnia etfi Abbas ille eleganter & solide fatis suo in libro deduxit, hiulca tamen minusque cohærentia visa sunt nescio cui Anonymo, qui uti quæque religionum Christianarum firmamenta suis petit dubiis, ita & argumenta a Gallo adlata æquo animo ferre non potuit. Eadem de causa quibusdam b) pagellis aliquot ante annos editis eadem impugnare atque in suspicionem vocare est connisus. Quo vero jure, c) quaque injuria, hic distributius monstrabimus singula seorsum examinaturi.

Haud subobscurum malæ causæ indicium est, quando Anonymus Galli nostri propositum speciose dissimulat, adeoque id, quod in quæstione est positum, his verbis invertit: d) *Abbas Pluches in libro suo, cui inscripsi: Histoire du ciel, syllogismum miro cum artificio formavit ad rem defendendam revelationis.* Tantum enim abest, quod e) Ahlwardtus bene jam monet, ut Gallus ille revelationis divinitus nobis concessæ veritatem evincere conetur, ut potius ubique divinam sacrarum litterarum auctoritatem invictis dudum argumentis confirmatam pro concessa ac fatis superque probato supponat. Id tantum agit, ut sanctissimas has veritates ab eorum cavillationibus defendat, qui stolidè

A 2

- b) Inscribitur libellus: cogitationes rationales de usu methodi scientificæ in Theologia revelata, cujus in frontispicio auctor se nominat A - X societati veritatem amantium adscriptum.
- c) Reliqua, quæ hoc Galli libro continentur, nihil hic curo. Sufficit monstrasse, argumenta, quibus ad hostes Christiani nominis refellendos est usus Pluches, rationi esse convenientissima.
- d) § XIX p. 28.
- e) v. ejus præf. ad P. II. der gründl. Betrachtungen über die Augspurgische Conf.

lide ἠηλοφρονῆτες cuncta Christianarum religionum mysteria despiciunt, nec quicquam pro vero accipiunt, nisi quod ex rationis corruptæ principii derivari queat. Hanc instituti sui rationem ita uberius ipse exponit: f) Je voudrois leurs avoir epargné une discouffion aussi inutile que pénible, en leur faisant voir, que les choses naturelles sont impenetrables à nôtre raison comme les verités révélées: que c'est assez pour nous, que les unes & les autres nous soient bien attestées; & qu'il est infiniment deraisonnable d'en vouloir juger par la prétendue évidence de nos lumières tandis que Dieu nous en montre a dessein rien que l'existence & l'usage.

Ex his quodammodo colligi poterit, quæ Auctor addit, quando: *huic Gallo, inquit, omnes illi sapientiæ studiosi videntur plane ridiculi, qui de omnibus rebus notionem distinctam formare cupiunt.* Etenim non huic tantum Gallo, sed cuique veritatis amanti viro, jam dudum scelesti consilii suspicionem moverunt, qui limites, quibus circumscripta est humana mens, audacter perfringentes, omnium earumque etiam rerum causas ac rationes evidenter perspicere cupiunt, quas Deus ipse occultavit & ab hominum oculis removit. Quorum hominum iniquitas tam ex sublimitate & conditione rerum, in quibus religiose colendis versatur Christiana pietas, quam ex ingenii humani imbecillitate iisque clarius patet, quæ ad cognitionem quibusvis modis distinctam requiruntur. Jure nostro inde dubitamus sapientiæ studiosis annumerare, qui extra terminos, quos sibi ponit sanior philosophia, temere vagantur, nec quicquam admittunt nisi cujus modum, quo esse possit, introspiciant. Tanto inconcultius hac philosophandi licentia aliquam sapientiæ gloriolam aucupantur: quanto evidentius est, nulla obligationis lege mortales a Deo unquam esse obstrictos, ut quosque mysteriorum recessus rimentur, aut supra humanitatem sapiant. Nostrarum modo est partium, ut, quas recto utriusque luminis usu cognovimus veritates, ad veram vitæ felicitatem stabiliendam, scienter ac salutariter adhibeamus. Liceat hic iterum ad aliquem Galli Pluches locum provocare: g) *Les Cartesiens*

f) v. præf. p. 19.

g) L. II p. m. 226.

siens en rapellant toujours l'homme aux recherches de sa raison, pour connoitre la nature & en lui prechant éternellement la necessité de chercher l'evidence en tout, nous ont donné l'homme pour tout autre, qu'il n'est, & ont réglé les obligations ou les demarches de sa raison sur un pouvoir, qu'elle n'a point reçu. La connoissance claire du fond des êtres n'est pas ici sa vocation, & elle n'ignore pas, qu'elle a une autre regle a suivre. Le principe, qui à toujours guidé, & qui, bon gré malgré, guidera toujours tous les hommes & les philosophes même, est celui ci: Il faut recevoir avec reconnoissance & faire valoir le plus, que nous pouvons, tout ce qui est attesté & assuré par l'experience, quoique nous ne le concevions pas, &c.

Ut vero habeat, quod speciose reprehendat Anonymus, quæ copiosius a Gallo sunt disputata, sequenti inclusit argumento: *Quia ratio ne de vulgaribus rebus quidem sibi possit formare notiones distinctas, neque plerarumque rerum perspiciat rationes sufficientes, rationis esse, in rebus ad fidem & revelationem pertinentibus non scrutari sed credere.* Quia in argumentatione, quamquam quæque inter se pugnare videantur Anonymo, si sine verborum inversione pioque sensu sumantur, alterum ex altero sua sponte fluit. Adlatam rationem, qua nititur in argumentando Pluches tot præfidiis firmavit, ut supervacaneum foret, multa hic argumenti loco addere. Evolvat, qui plura cupit, quæ tam ad examinanda veterum, quam h) Gassendi, Cartesii, Lockii, Newtonis, aliorumque dogmata monuit. Expendat, quot naturæ mysteriis undique stipamur, quantumque sit, quod in rebus vulgaribus nesciamus, quum vis & natura rerum nos lateat, atque in cortice plerumque hæreant philosophi. Investiget i) particulatim quarumcunque velit rerum notiones, quas meditandi artificio abstractas philosophi plerumque nominare solent, ac quantum obscuritatis secum ferant, si singulas easque minimas rei cognitæ partes membratim ac distributius perquiramus. Quum enim neque intellectu quisque puro gaudeat, neque ulla hominum cognitio tam clare exsplendescat, quin analysi, quam dicunt,

A 3

h) v. l. c. p. 399. seqv.

i) v. præstantiss. D. Crusii Diss. sec. de dissimilitudine inter religionem et superstitionem, quæ Lipsiæ 1751. est habita. C. III.

cunt, notionum facta in eas exfolvatur partes, quas sensuum beneficio percipimus: facile intelliget, fieri omnino non posse, quo minus tam in altioris momenti veritatibus, quam in rebus, quæ ubivis obviam sunt & ante pedes, multa arcana nobis obversentur.

Et quid diutius his immoramur, quum ipse Anonymus nihil habeat, quod ad infirmendam hanc asserti rationem afferat sed potius, ratione concessa, quod ex ea sequitur, variis captionibus & dubiis subruere allaboret. Quo vero melius pateat, quo modo ex ante dictis sequantur, quæ Pluches inde deducit, pauca jam tantum præmonenda sunt. Videlicet, ut nemo de earum rerum veritate dubitat, quas sensuum testimonio convicti, percipimus, quamquam earum causa & ratio lateat: ita absolum omnino foret, ea inficiari ob abditas rationes, quæ summi numinis, si quod adest, testimonio invicto firmantur. Nec ita comparata sunt sanctissima religionis nostræ mysteria, ut nihil prorsus evidenter de iis cognoscatur. Adest, ut cum theologis loquar, evidentia testimonii, evidentia τῆ ὄρι, evidentia rei attentioni nostræ hic objectæ, quamquam qua ratione fieri & esse queant, prorsus nesciamus. Tandem etiam lubentissime largimur, neque ad mysteria referri, quæ vel sibi vel aliis rationis veritatibus repugnant, neque imbecillitate humani ingenii tanquam præsidio firmari posse, quod a Gallo nostro factum esse haud subobscurè, ast perperam & irreverenter perhibet Anonymus.

Quæ cum ita sunt, inique prorsus agunt, qui in naturæ rebus rationem cœcutire concedentes, nihil tamen in religionum doctrinis admittunt, nisi quod omni ex parte clarum sit & evidens. De Θεοπνευστικῶν sacrarum litterarum gravissimis argumentis ipsi convincuntur philosophi. Nonne autem sibi suæque rationis repugnarent præceptis, qui summo quidem Numini in sacris litteris oracula prodenti fidem habere, nec tamen assertis ejus suffragari posse declarant, nisi arctissimam eorum suis cum philosophiæ principiis consensionem introspiciant. Lectu digna sunt doctissimi Jæcheri in hanc rem verba, qui: k) *Non secundum, inquit, sed contra rationem agunt, qui mysteria ad eas regulas exigunt,*

k) v. ejus Philosophia hæresium obex p. 178.

gunt, ad quas exigi eas prohibet sobria philosophia, atque multis se ipsos contradictionibus implicant. Profitentur se credere Deo & ab altera parte non auctoritatem dicentis sed evidentiam rei, postquam sacram scripturam ad sua principia torserunt, fidei motivum constituunt, quod idem est, ac scientiam proprie sic dictam affectare, quæ tamen fidei opponitur.

Quum porro ingenii humani acies hebecit, rerum causas inquirendo, quæ in terræ gremio latent, nonne multo majori jure mysteriorum necessitatem colligeremus ex sublimitate & indole veritatum, quæ sacris in litteris divinitus manifestantur. Rationi suos esse terminos ipsi agnoscunt philosophi. Ex facta rerum naturalium cum creatore argumentantur comparatione, ejus proprietates esse infinitas. Concedunt itaque mysteria theologiæ naturalis dogmata demonstrantes. Allegat potissimum Reinbeckius 1) ex Voltairio locum commemoratu dignum: *Nous ne savons pas de quelle maniere Dieu voit actuellement ce qui se passe, nous n'avons aucune idée de sa façon de voir; pour quoi en aurions nous de sa façon de prévoir? Tous ses attributs nous doivent être également incompréhensibles.* Qua ratione quid aliter vero efficitur, quam ut Abbatis argumentationi novum concilietur robur? Id quod tanto evidentius est, quanto certius mysteria Christianæ religionis eas de Deo veritates ex theologia naturali supponunt, quas vel ipsi philosophi supra captum esse hominum monstrant.

Docent nos denique philosophorum præcepta, ne in naturæ rebus non satis intellectis atque perspectis temere quicquam negemus, sed potius sensuum testimonio freti nos tam a negando, quam assentiendo contineamus. Nescio itaque quomodo temeritatis notam effugere queant, qui hujus principii immemores in rebus sacris suo quæque pede metiuntur, arroganterque interponunt judicium nec indubiis summi numinis oraculis nituntur. Dubitant de rerum veritate, quas animo non comprehendunt. Negant quod scrutari non possunt ac injustum hic esse volunt, quod justum esse exemplo suo declarant in rebus vulgaribus.

Sed

1) v. ejus Betrachtungen T. IV. die 42. Betracht. p. 86.

Sed audiamus, quos hic scrupulos injiciat Anonymus: *Si cuique, inquit, limites rationis nostræ opponere vellemus, brevi totum veritatis ambitum redderemus incertum.* Ast enim vero non cuique sed illis tantum hos rationis humanæ terminos opponunt Theologi, qui nimis altum sapiunt, earumque rerum rationes vano ausu quærunt, quæ supra ingenii humani vires sunt positæ. Tantum enim abest, ut quæque sine adhibito iudicio assumenda esse statuatur, quæ perperam sapius mysteriis annumerantur, ut potius tam revelationis quam argumentorum investigationem quam maxime commendent, quibus illius veritas evincitur. Vel ipsi quidem philosophi, qui philosophari quam fingere malunt, rationis terminos opponunt iis, qui plus quærunt, quam sciri potest. Quis vero crederet, ambitum veritatis sic labefactari magis quam amplificari?

His addit auctor: *Entia rationis omnia pro veris tali modo sunt habenda, quia scilicet nostræ ratio valde est limitata.* Si hujus modi essent religionum Christianarum mysteria, ut vel sibi vel aliis veritatibus adversarentur, jure suo insultaret Theologos, in iisdem asserendis ad ingenii nostri terminos provocantes. Sed quis sanctiorum litterarum assertor unquam ejusmodi inter se pugnantia mysteriorum nomine aliis commendavit? Equidem probe scimus, nunquam defuisse, qui cum Anonymo nescio quæ spinosa rationique contraria invenisse sibi videntur in mysteriis. Sed gravissimis dudum argumentis docuerunt Theologi, vana tantum specie deceptos esse christiani nominis hostes, facileque negotio eorum captiones recta legum interpretationis sacræ applicatione, nec non principiorum rationis præfinitione posse dispelli. Ita potius sanctissima illa dogmata & quæ cum illis arctissimo nexu coherent, sunt comparata, ut, quamquam non ex principiis sanæ rationis argumentando queant derivari, nihilominus tamen rationi longe vero simillima, præstantissima, nec non majestati divinæ convenien-

m) Dubia ejus, quibus ἐνσπέναι filii Dei infirmare studet, erudite discussit summe reverend. D. Hofmannus v. ejus *Varia sacra* s. *Opuic. Acad.* p. 53. nec non acutiss. Ahlvard. l. c. Confer simul, quæ L. IV. p. 407. Pluch. in hanc rem est commentatus.

nientissima videantur. Tam egregia enim vitæ morumque præcepta ex his sponte fluunt, ut mens humana ne cogitatione quidem quicquam sublimius atque præstantius de Deo assequi & capere queat.

Patet inde simul, quo sensu concedi queat, nihil pro vero habendum, nisi quod animo comprehendatur. Scilicet quod ideo comprehendendi nequit, quia suapte natura corrui, sibi que repugnat, non potest non esse falsum atque absõnum: Bene n) Reinbeckius: *Dergleichen Dinge sind an und vor sich selbst schlechterdings unbegreiflich, sie lassen sich durch keinerley Verstand begreifen, und können um deswillen auch unmöglich als wahr angenommen werden. So bald man demnach mit guten Grunde zeigen kann, das etwas sich selbst widerspricht, so bald ist man berechtiget, solches als eine Unwarheit zu verwerffen.*

Ecquis itaque non mirabitur leve illud atque ambitiosius Anonymi effatum: *Calculus adjicimus Abbati, si dicit: Sæpius frustraneam fuisse operam in concilianda ratione & scriptura collocatam.* Si videlicet hoc sibi vult sua cum utriusque luminis reconciliatione, ut evidenter monstretur modus mysteriorum, ac qua ratione ex principiis philosophiæ interpretari & cuique philosophorum systemati conciliari queat: facile concedimus hic oleum & operam multos perdidisse. Sin vero inficiari audeat, nullam inter utriusque generis veritates intercedere consensionem nec speciosas discindi posse repugnantias, quas fingunt refinguntque homines profani: ad egregia o) Huëtii, p) Leibnitii, q) aliorumque monumenta erit ablegandus, qui non sine felicissimo ausu hunc lapidem volvere.

Tandem uno quasi ictu quæque prosternere annititur Anonymus, quando: *Syllogismus*, ait, *quem formavit, collidit cum regula methodi demonstratiue, quam §. 6. ita exponit; in demonstrando argumenta, que*

n) l. c. p. m. 82.

o) v. quæ in Quæst. Alnetanis de concordia rationis et fidei disputat.

p) v. Discours de la conformité de la foy avec la raison, quæ diff. operi Essais de Theodicee, præmissa est.

q) Ordine recenset reliquos immortalis Alb. Fabricius in delectu argument. et syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis christianaæ asseruerunt p. 491. seqv.

oratoribus dicuntur commoventia non vendat pro argumentis convincentibus, que tantum valent animum auditoris rei quodammodo conciliare. Quam præpostere vero ratiocinia negantia, quibus a minori ad majus ratiocinantur philosophi, ad commoventia non vero convincentia, quæ dicit, referat, probe sciunt, qui quæ ubivis in philosophorum libellis de r) arte logica prostant, primoribus gustaverunt labris. Eadem vero non ideo esse rejicienda, quod non sub nostram cadant intelligentiam, qua ratione gravius adversariis monstrari poterit, nisi de virium suarum defectione usu & experimentis coarguantur. Quum enim in rebus naturæ investigandis stolide agunt, qui quicquid neque ipsi capiunt, neque a philosophis explicari potest, commentis annumerant: cur non liceret, s) ad mentis nostræ heberudinem provocare, quum de veritatibus cœlestibus omnique investigatione sublimioribus disputatur.

Ultimo loco quærit auctor: ad quodnam genus syllogismorum hic referendus: ratio nostra debilis est, nec omnia introspicit; Ergo datur diabolus. Cum vero neque Abbas, neque quisquam theologorum ea argumentandi ratione unquam est usus: nihil est, quod plura respondeamus. Sibi itaque habeat, quæ licenter satis comminiscitur. Pugnat enim cum monstris, quæ ipse peperit, non cum Christianæ disciplinæ assertoribus, qui genios hos pessimos vere existere indubiis sacrarum litterarum argumentis evincunt. Nec quicquam interest t), utrumquæque ex rationis principiis deriverentur, dummodo nihil, quod iisdem repugnet, asseratur. Recte enim cum Gallo nostro respondemus: Si rationi non patet, quomodo anima humana per corporis membra quicquam efficiat: quid mirum si in iis explicandis hæsitet, quæ sacer codex de spirituum operationibus protulit

- r) v. Rudigerum de Sensu V. et F. I. 2, 9. nec non Mülleri Philos. P. I. c. 15. p. 439.
s) Präclare Sackius in 8. Stücke des vertheidigten Glaubens der Christen. p. 92. In der That, es stehet einen philosophen, dem beydes die Grentzen der menschl. Erkenntniß und die Gründe, darauf sie beruhet, bekandt seyn müssen, sehr schlecht an, seine Einwürffe und Zweifel aus der bloßen Unbegreiflichkeit einer Sache herzuleiten.
t) v. Ahlwardus l. c. ubi solide ea confutat, quibus in dubium vocare studet, quæ de his ex orco genis sacre afferunt tabulæ.

tulit in medium, quorum natura & vires vel acutissimo sunt incomprehensæ philosopho.

Quo gravioribus itaque Sacrarum litterarum præsiidiis cælestes illæ veritates sunt munitæ: eo studiosius omnino juvenum animi iisdem imbuuntur, imbutique ad pietatis Christianæ exercitia concitantur. Vindicant hanc virtutis laudem ad se potissimum quatuor juvenes, qui jam in conspectum fautorum prodibunt, quædam diligentia specimen edituri. Quorum primus

JOANNES CHRISTOPHORVS TEICHMANN,
Polenz Misnicus.

quem semper sumus augurati, spei ac expectationi haud defuturum, in quam nos & dilectissimos parentes diligentia sua & pietate adduxit, tam feliciter hujusque in litterarum studiis profecit, ut jam divinis auspiciis Lipsiam se conferre tanquam ad sapientiæ artiumque mercaturam constituerit. Ante vero quam ex hac musarum sede discedet, suarum partium esse duxit, patronis & fautoribus pium gratumque testari animum carmine germanico, præmissa oratione, qua *Pythagoræ exponet præcepta, quibus juvenes ad salutem reipublicæ promovendam præparavit.* Huic vero abeunti

CHRISTOPHORVS DANIEL GÜNTHERVS,
Zscheyla Misnicus.

juvenis & elegantioribus litteris & moribus bene formatus fausta quæque erit apprecaturus, oratione reutonica, qua *de Romanorum aget institutis, quibus liberos suos ad rempublicam bene administrandam reddiderunt idoneos.*

Excipiet hos biga juvenum & morum elegantia & virtutis studiis maxime commendabilium. Alter horum

ERNESTVS GOTTFRIED ZEIBIG,

Misn. Misnicus,

Juris Consultissimi patris exemplo ad quæque præclare agenda laudabiliter inflammatus, oratione romana monstrabit: *quanto iis præsidio sint elegantiores litteræ, qui aliquando jurisprudentiæ studiis reipublicæ usibus inservire volunt.* Alter vero

FRIDERICS DE ZEHMEN,

Eqv. Misn.

cui illustria splendidissimæ gentis suæ facta nec non imaginum insignia singulari semper fuerunt incitamento, ut diligentis ac probi discipuli numeros expleret, felicemque ingenii indolem litteris elegantioribus ornaret, oratione gallica explicabit: *Quantum utilitatis divina philosophiæ studia iis asserant, qui jure civili aliquando civibus suis prodesse cupiunt.*

Ut itaque Gravissimi utriusque reipublicæ apud nos Amplificatores & Omnes, qui Musis bene cupiunt, juvenibus nostris adsint gratia auscultandique studio præsentés atque benevoli optamus, rogamus, obtestamur P. P. Misnæ. die XII. Calendas

Octobr. MDCCCLII.





Farbkarte #13

B.I.G.

Q.K. 361, 25

X 23A 6707

II h
574

PLVCHES GALLI HISTORIAM COELI
A QVIBVSDAM OBIECTIONIBVS
DEFENDIT
SIMVLQVE AD
ORATIONES

D. III. OCTOBR. A. R. S. MDCCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS

PERREVERENTER INVITAT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,
RECTOR.

DRESDAE PRAELO JO. GVIL. HARPETERI.

